



## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

**Parisiis, 1644**

Epistola XLIV. Ioannis Papae VIII. Ad Vigbodvm Episcopvm Parmensem.

Hortatur vt quoscumque potest ad sanctae Romanae ecclesiae defensionem excitet, & ad se cum suis veniat, vt communi consilio ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15967**

monemus, ut spirituali filio nostro Carolo piissimo imperatori, puræ fidei ac sincerae deuotionis exhibens semper integritatem, omnes ad eius mansuetudinem attrahat, & salubribus monitis inuiolabilem ei fidem seruare demonstret.

Rom. 13.

*Non enim est potestas, vt Apostolus ait, nisi a Deo. Et: Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit.* nos autem, quia illum diuinitus, ut credimus, acti semel elegimus, perpetuo tamquam filium carissimum omni conatu diligimus, ita ut ipsius amicos & inimicos, nostros amicos & inimicos existere teneamus: si qua vero sunt vobis ab eius clementia impenetranda, per nos credimus, cum vobis libuerit, indifficulter obtinere valebitis. *Quod & nos libentissime pro memoria* priscæ benicitatis vestræ geremus, & idem pius Augustus pro Dei sanctorumque apostolorum, sed & nostri dilectione animo gratanti concedet. Optamus dilectionem vestram bene in Christo valere dilectissima filia. Data vi. Kalendas Aprilis, indictione decima.

## EPISTOLA XLIV.

## IOANNIS PAPÆ VIII.

AD VVIGBODVM EPISCOPVM PARMENSEM.

Hortatur ut quoscumque potest ad sanctæ Romanæ ecclesiæ defensionem excitet, & ad se cum suis veniat, ut communi consilio Sarraceni ab Italia expellantur. mitit desideratas epistolas, quas afferendas curet iis, quibus scribuntur.

*Ioannes episcopus Vvigbodo episcopo Parmensi.*

**D**E VOTIONIS tuæ affectionis non insciis grates condignas referimus: quia vero sanctitatem dolere tuam cognoscimus pro eo quod a nobis nihil sibi laboris iniungatur; nil esse noueris aliud, nisi quia nouimus te multis huius temporis procellarum fluctibus irretitum. Verum quia nobis multa incumbit necessitas, & tua promptissima claret alacritas; hortamur, ut quoscumque potes, & quomodo cumque potes ad defensionem huius sanctæ principalis ecclesiæ filiorum excites, incites, & prout necessitas vrget, impellas: sed & ipse cum his, qui tibi adhaerent, ad colloquium nostrum accelerare ne pigriteris, quatenus communis consilio, auxiliante Deo, gens impia nostris eliminetur e

finibus. hoc est quod exigimus, hoc est quod ante speciali voto depositimus. Quæ vero de mittendis quibusque literis nostris suggerere voluisti, votis tuis (prout temporis qualitas, & causarum dispensatio concepsit) gratauerit annuimus ; & non solum hoc, sed & quæ possimus, tanto circa sanctimoniam tuam exhibere libentius volumus, quanto hanc præteritis illis in partibus constitutam alacrius & instantius quæ nostra sunt exequi contemplamur. Epistolæ autem ipsæ quibus missæ sint, superscriptio earum monstrabit, quas ipse procul dubio ad eos, quibus directæ sunt, facies asportari. Esto itaque fisis in nobis, & viriliter age, & Psal. 26.

confortetur cor tuum, & sustine Dominum, & accinge sicut vir humeros tuos, & accelera, ut dilectionem tuam superius commonuimus. Optamus sanctitatem tuam, *et cetera.*  
Data vi. Kalendas Aprilis, indictione decima.

## E P I S T O L A X L V.

## I O A N N I S P A P Æ V I I I .

AD A I O N E M E P I S C O P V M B E N E V E N T A N V M .

Laudat eius promptum ad ecclesiæ defensionem studium: tum hortatur ut contra Sarracenos opem ferat, & fœdus cum illis iustum dissoluendum curet.

*Ioannes episcopus Aioni episcopo Beneventano.*

P E R SPECTIS apicibus sanctitatis tuæ, quantum in te diuini amoris ardor efferueat, luce clarius recognovimus ; & quantum erga sanctam Romanam ecclesiam deuotus existas nihilo minus aduertentes, pro tanta tibi benignitate multiplices gratias agimus, & sanctimoniam tuam ad nostri profectum certaminis dignis pollere successibus ab omnipotentis clementia postulamus. Vere enim frater carissime laudibus es extollendus, qui tribulationes nostras, quas pro populo nobis commisso patimur, quasi præsentes intuens, nobiscum gemens & dolens, ad has auferendas prouidum commilitonem & cooperatorem nostrum non indebit te velle esse in omnibus asseueras. Nec aliud itaque de tua sanctitate credimus, nec aliud suspicamur, nisi ut quamvis corpore absens sis, spiritu a nostris singultibus nunquam desis ; & quam dolendum sit,

H iii